



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXVI. De clericis maledicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

(o)

TITULUS XXVI

De clericis maledicis.

CAPUT PRIMUM.

^a Clemens III.

Nnotuit nobis, &c. *Et infra*: Ad ultimum f. t. mandamus, atque precipimus, quatenus quia nobis per literas tuas retulisti, scilicet quod Ioannes clericus, sanctæ Trinitatis multis coram astantibus, verba quædam in depressionem, & contumeliam ^b Rom. Ecclesiæ protulit, ipsum à temeritate sua per suspensionem officii, & beneficii, sublato appellationis obstaculo, compescas, ut pœna illius aliis ^c terrorem incutiat, ne de cætero contra Rom. Eccl. in talia verba prorumpant.

NOTÆ.

1. ^a *Clemens III.* Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub tit. de clerico maledico*, c. 1. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex, nec in *cap. innotuit, de eo qui furivò ordin.* ubi extat prior pars hujus textus, id explicatur, licet ex illius textus serie deducatur, in præfenti rescribere Clementem III. alicui Prælato Hispaniæ prope Seguntinam diœcesim existenti.
2. ^b *Romane Ecclesiæ.* In hac sexta collectione legitur officii & beneficii nostri; unde deducebant Doctores, Pontificatum esse beneficium ecclesiasticum, ut probant Casar de *Eccles. Hierach. disput. 14. §. 2. n. 1.* Selva de *beneficiis* 1. p. q. 2. Ojeda de *incompatib.* 1. p. c. 1. n. 2. Fabricius de *majorib. benefic. num.* 22. Sed verius in hac secunda collectione legitur, *Romana Ecclesiæ.* Aliud enim est detrahere Pontifici, aliud Ecclesiæ. Et licet utrumque crimen sit grave, tamen ex primo vindictam canones non admittunt, *cap. paratus* 23. q. 1. ex secundo verò cum Ecclesiæ honor, & gradus lædatur, pœnam imponunt, ut observavit Cironius *lib. 2. observ. c. 4.*
3. ^c *Aliis terrorem.* Inter alias causas, quæ delictorum punitionem suadent, quas proponunt Platon in *Dorgia*, Seneca *lib. 1. de clementina* D. Augustinus de *civitate Dei* lib. 19. cap. 16. & prosequuntur Alex. ab Alex. *lib. 1. dier genial. cap. 5.* ubi Trajan. *ad leges connub. lib. 9. glossa 1. n. 22. 4.* Petrus Gregor. *3. part. syntag. lib. 31. cap. 1.* duplex præcipue consideratur. Prima, ut is qui deliquit, corrigatur, & emendetur, *cap. de his* 22. *quest. 2.* quam expresserunt Aul. Gel. *lib. 6. quest. cap. 14.* Hæfodius in libro qui scribitur, *Opera & dies.*

— Tandem sua pœna nocentem

Consequitur passus, sapit tum deniq. stultus. Secunda, ut alii, qui tali exemplo delinquere possent, metu similis pœnæ deterreantur. Seneca *ubi supra*, ibi. *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur; revocari enim præterita non possunt: futura prohibentur, ut quos nollet exemplum nequitiæ male cedentis fieri, recidat, non tam ut pereant ipsi, quam ut alios perennando deterreant.* Quod ad bruta quoque animantia tulit Plinius *lib. 19. c. 7. §. 4.* & *lib. 10. c. 22.* Videmus, inquit, sæpe in Africa crucifixos leones, à quibus fuerant urbes obsessæ, quo cæd. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

veri metu pœna similis deterreantur. Nec longè à nobis perenda sunt hujus rei testimonia, cum in Hispania nostra quotidie videamus in suppliciis de nocentibus lumenda verba illa à præconibus præcuntibus delictumque manifestantibus, ad finem adjicere; *quien talhace, que tal pague.* Quæ sanè ad admonitionem aliorum potius quam ad punitionem ipsius delinquentis pronunciari nemo non videt. Sumptumque fuit à prisco Romanorum more; advocatus enim ad supplicium populus crimen, & pœnæ causam ex præcone ipso audire solebat, & nonnunquam id fiebat per scripturam, quæ titulus vocabatur, ut in Christi Domini passione observant Evangelistæ, & ex bonorum auctorum testimonio notavit Iustus Lipsius *lib. 2. de cruce*, c. 11. Sicque verbum *superdici*, accipi debet in *l. si duo*, §. *final. ff. de jurjur.* & quod de præcone traditur in *l. fustibus. Cod. ex quibus causis infamia*, ut observant Fornarius *lib. 1. rerum quotid. cap. 13.* Baldinus de *edictis pro Christianis. fol. 34.* Cujac. *lib. 8. observ. c. 7.* & *lib. 1. 3. c. 3.* Petrus Faber *lib. 2. semestr. c. 6.* & 7. quibus addi velim quod de Alexandro Severo Lampadius in eius vita refert, his verbis: *Clamabatq. sapiens, quod à quibusdã sive Judæis sive Christianis audiebat, & tenebat; idque præconem cum aliquem emendaret, dici jubebat: Quod tibi non vis, alteri nõ feceris.* Quoque idem Alexander in supplicio fumendo de Turino fumi venditore per præconem dici jussit: *Fumo puniatur, qui fumũ vèdidit.* Quod refert Duar. *ad tit. C. de suffrag. & lib. 1. animad. c. 25.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur auctoritate. Clericus maledicus suspendendus est ab officio, & beneficio. Probant eam textus in *can. 55. sio pro Apost. cap. clericus maledicus* 46. *dist. c. contumaces* batur. 56. *dist. cap. si quis clericus* 15. q. 7. Concil. Aurelian. 5. sub Pelagio I. *can. 14.* ibi: *Si quis presbyter, aut diaconus quolibet contumaciter ordinem Episcopi sui despexerit, aut calliditate faciente ipsum injuriare, aut detrahere præsumpserit, tribus annis à communionem suspensus, & in monasterium detrusus, aqua tantummodo & pane diebus singulis sustentetur, nec comam, nec barbam facere præsumat, nec ad aram Domini penitus accedere permittatur.* Toletan. 5.

M m 2

can. 5.

an. 5. Sed & hoc pro pestilentiosis hominum moribus salubri ordinatione censemus, ne quis in Principem maledicta congerat; scriptum est enim à legislatore: Principem populi tui non maledices. Quod si quis fecerit, excommunicatione ecclesiastica plectatur. Nam si maledici Regnum Dei non possidebunt, quanto magis talis ab Ecclesia necessario pelliatur, qui divina violator sententia invenitur. Faciunt textus in c. 22. Exodi, c. 23. Actuum Apost. juncto Anastasio Germonio lib. 3. de sacror. immunit. c. 3. n. 30. Illustrant ultra congestos à Barbosa in presenti, Acunna in c. clericis 5. 46. dist. Gutierrez de delict. quest. 63. & 64. Crespetius in summa, verbo clerici maledici, Salmut. ad Pancrol. lib. 1. memorat. tit. 57. Corvinus lib. 4. aphorism. tit. 34. Cironius lib. 1. obser. c. 4. Petr. Gregor. lib. 2. part. tit. 9. c. 8. & lib. 4. tit. 9. c. 1. & in proemio Decret. n. 38. & lib. 2. de repub. c. 6. Nicol. Lemastie in consur. censur. Sorbon. 1. part. c. 1. & 3. Don Nicolaus de Castro in discursu contra Don Duarte. Scipio Gentil. lib. 2. de conjur. in orat. de maledict. in Principem. Alber. Gentil. in lunic. Cod. si quis Imperatori maledix. Laelius Mancinus de triplici jur. collat. lib. 1. c. 99.

5. Impugnatur tradita assertio.

Sed pro dubitandi ratione intendam probare ratione, & exemplis, maledicos in Principem, vel superiore non esse aliquà penà afficiendos; nam licentia ista loquendi concessa populo, cupiditates, consiliaque omnia patefacit, unde Tiberius ajebat in civitate libera, liberae linguas esse debere: & cum Senatu loquens, qui intendebat maledicos punire, dixit: Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud efficietis quam ut hoc colore dignitatis Principum vindicandæ unusquisque privatas suas inimicitias, velatum, ultimumque eat; & conclusit: Si quidem loquutus aliter fuerit, dabo operam ut rationem factorum meorum, dictorumque reddam; si perseveraverit, in vicem meum odero. Unde Theodosius, cum Arcadio, & Honorio suis filiis constitutionem edidit relata in lult. c. si quis Imperatori maledixerit, his verbis: Si quis modestia nescius, & pudoris ignarus, improbo, petulantiq. maledicto nomina nostra crediderit laceffenda, ac temulentia turbulenti obrectator temporum nostrorum fuerit, eum pena nolumus subjugari, nec durum aliquid, nec asperum volumus sustinere; quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignissimum, si ab injuria, remittendū. Nec minori vel prudentia, vel magnitudine animi fuit Rex ille Epirotarum Pyrihus, qui censentibus amicis, ut quendam, qui de ipso malè erat loquutus, relegaret, non se facturum dixit, ne aliò profectus pejora de me loquatur, & coram pluribus. Similia exempla de Philippo Macedonum Rege & aliis Monarchis, ac Imperatoribus referunt Gentilis in d. oratione de maledict. in Principes. Hugo Grotius in floribus ad dict. legem unicam. Salmut. ad Pancrolam d. tit. 57. Jacob. Gorhoff. in ea dicta lege, in Theodof. Lindembrog. in comment. ad ipsam legem unicam, Valenzuela consil. 164. Fragolo part. 1. de regim. lib. 1. disp. 1. Adam Contzen lib. 9. polit. cap. 45. P. Velazquez de optim. Princ. libr. 3. adnot. 12. morali, ex §. 6. Non omitam de hac re Cinnii Mecænat's prudentiæ simulacrum apud Dionem lib. 52. ubi Imperatorem Augustum ita alloquitur: Quod convitium aliquis tibi fecerit, aut tibi obrectaverit, nec deferente aliquo audire, nec ulcisci debes. Turpe enim fuerit te credere inventum, qui te neminem ledentem, omnibus beneficentem, ignominia affecerit. Idque soli faciunt mali Prin-

cipes, qui ex conscientia sua veritatem dictorum colligunt. Deinde iniquum est ea egre ferre velle, qua si vera sunt, præstat non admisisse, si falsa distimulare; cum multi hac vindicantes pluribus ac gravioribus de se sermonibus occasione præberint; nec decet hanc opinionem de te hominibus subicere, esse qui in te contumeliosus esse ausit. Facit textus in cap. qui iustus 90. 1. quest. 3. in illis verbis: Qui iustus est, & injustè maledicitur, præmium illi redditur. Igitur non rectè in præterito clerico maledico pœna suspensionis imponitur.

Quà dubitandi ratione non obstante vera est 6. præteriti assertio, pro cuius expositione sciendum est, maledicum dici detractorem, quia sicut benedici dicuntur, quiit

Et bene nos bene te, patriæ pater optime Caesar, Dicite, suffuso per sacra verba mero.

Contra maledicere, est malè precari, ut apud Plautum in Penulo; act. 3. scena 3.

Si benedixit, vestra ripa vos sequar:

Si maledixit, vestro gradat limite.

Maledictio ergo vitium linguæ, & maximum est, D. Jacobus epist. 3. Quare postquam Quintilianus lib. 12. instit. dixit caninam esse eloquentiam, atque faciendam maledictis uti, ex Appii Claudii testimonio addit, vitium esse animi, quo maleficus à maledico non distat nisi occasione, subindicans convitatori, & maledico ad malè faciendum, & nocendum adversario promptam esse voluntatem, modò daretur tempus, & locus laedendi: & sicut maleficium idem est, quod malefactum in facto, ita & maledictum in verbo. Cicero pro M. Cælio distinguit accusacionem, convitium, & maledictum his verbis: Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem notet, argumento probet, teste confirmet; maledictio nihil habet propositi præter contumeliam, quæ si petulantius jactatur, convitium, si facetiis, urbanitas appellatur. Et quem admodum malorum diversitas alia, & aliis pejora facit, sic maledictiones alia aliis graviores & pejores. & quædam aliis efficaciores, vel ratione cause maledicendi, vel ratione potestatis ejus, cui maledicitur. Plura de his maledicis congesterunt Luc de Penna in omne, vers. Not. a. C. de delat. lib. 10. Sortus de just. lib. 5. q. 12. art. 1. Menoch. de arbit. casu 367. Didac. Petrez in l. 34. tit. 3. in lib. 8. ordin. Beyerlinch. tom. 5. theat. verbo Maledicent.

Deinde sciendum est, maledicos alios esse in Deū, alios in Principem, seu superiorem, ætate, nobilitate, moribus, seu scientiâ præstantem; alios in proximum, seu æqualem. Salcedo in prax. c. 66. Cenedus ad Decretal. collect. 146. De maledicis in Deum, hoc est blasphemus, agemus infra textu sequenti. Circa maledicos in æquales dicendum est, quod si privatus maledicto lædatur, actioni injuriarum locus est, l. 1. §. litem apud 15. §. convitium. §. ex his apparet, §. generaliter, ff. de iniuriis, l. 3. cum sequent. l. qui liberos 9. l. penult. C. eod. tit. Si verò maledici sint in Principem, tempora, aut sæculi mores, ut plerumq. contingit, Seneca lib. 3. de ira c. 22. Cassiodor. lib. 3. c. 5. olim lege Iulhæ Majestatis tenebantur, Tacitus lib. 1. annal. Arnobius apud Grotium ubi supra, libi: Majestatis apud vos reus qui de vestris obmurmuravit aliquis Regibus. Quo modo & I. C. Paulus dixerat, non solum factò, verum & verbis impiis exacerbari crimen Majestatis, lib. 5. tit. 29. §. 1. notarunt Valenzuela consil. 163. & 164. Grotius in d. l. unic. Ant. Mathaus de crimin. ad tit. de lege Jul. Majest. c. 2. Suarus ad Sidonium lib. 1. epist. 7. facit Modestinus in l. 7. §. ult. ff. ad leg. Jul. Majest. 19

in quo textu Tribonianus respiciens ad legem unicam, *Cod. si quis Imper. maled.* ubi legebatur *verbis*, posuit *factis*; quæ inversio patet, nam si non esset legendum *verbis*, ad quid postea diceret Consul legatus, *vel violatis statuis*; cum jam in generali significatione facti crimen illud comprehenderetur; notavit Cujac. *ad Paulum d. tit. 29. §. 1.* quare Arnobius *advers. gent. ait. Majestatis sunt apud vos rei, qui de vestris secus obmurmuraverunt aliquid Regibus.* Sueton. *in Tiberio. c. 10. §. 11. & 48.* Sed Titus hanc quaestionem remisit, testibus Dione & Xiphilino; & post eum Imperatores Honorius, & Theodosius *in l. unic. C. si quis Imperatori*, ubi verbum illud *requirendum*, accipi pro condonandum, docuerunt Albert. Gentil. *ibid.* Salmutius *ad Panciroli d. tit. 57.* & pro ipsius textus expositione videntur sunt Filescus *lib. 2. select. tract. 7. de Regia Majest. §. 3.* Petrus *ad leg. Avic. pag. 236.* Basilic. *decif. 26.* Sacri etiam canones detractiones, & contumelias nihili fecerunt, *c. paratus 23. q. 1. c. qui iustus 11. q. 3.* nisi quando honor Ecclesiae, vel ordinis læditur, ut si presbyter in suum Episcopum, vel Pontificem maledicis sit; gravius tamen est delictum, majorique poena plectendi sunt maledici, qui linguam procacem effundere non contenti, calamo etiam manum adiciunt per libellos famosos, de quibus agit *lib. 3. Concil. Illyberr. cap. 30.*

8. Traditur. de decedendi ratio
His suppositis apparet ratio presentis decisionis, quare videlicet suspendendi sunt clerici maledici in Ecclesiam, Pontificem, seu Episcopum: nam nihil ita in bene morata Republica cavendum est, quam Principis contemptus, atque hæc res quæ minere existimationem ipsius possunt: si enim de Principe malè impudè loqui liceat, fit ipsa natura; ut & in ejus, qui loquitur, & in ejus, qui eum audit, animo sensim ingeneretur quedam mala de Principe opinio, minusque eum revereri incipiant, ut latè considerat, & exemplis probat Gentilis *lib. 2. de conjurat. in dicta oratione de maledictis in Principem.* Quæ si in quolibet Principe procedunt, quando magis in Pontifice, & Episcopis quibus major debetur, & impendenda est reverentia: proinde ut perniciosissimo huic malo tempestivè occurratur, prudenter monuit D. Gregorius *homil. in Ezechielem*, his verbis: *Hæc, quorum vita in exemplo imitacionis est posita, debent, si possunt,*

detrahentium verba compescere. Etsi enim lubricum linguæ ad poenam facillè trahi non debeat, *l. famosi 7. §. hoc tamen, ff. ad leg. Jul. majest.* quæ tamen ex certa animi destinatione proficiscitur convitiandi temeritas, compescenda omninò est, ut poena illius aliis terrorem incutiat. Quare retè Clemens III. in presentis rescriptis suspendendos esse clericos maledicos in Ecclesiam Romanam, vel Pontificem.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, pro cuius solutione, dicendum est, quoad poenam detraCTORUM, ex personis eorum esse pensandam, ac utrum prætermitti debeat, æstimandum esse, ut *dubi* expressit Harmenopolus *in Græca interpretatione tandi ad textum in dict. l. unic. Cod. si quis Imperatori. ratio.* Quibusdam enim personis jure etiam debetur hæc licentia. Nec Imperiale, inquit D. Ambros. in quadam epistola, libertatem dicendi denegare; nec Sacerdotale, quod sentiat non dicere. Idque adeo verum est, ut interdum duobus pariter Principi maledicentibus, in altero venia, in altero poena sit adhibenda: quod Dionysium Syracusarum Regem fecisse memoriæ proditum est, referique Scipio Gentil. *in dict. oratione de maledictis in Principem.* Cum enim renunciatum ei fuisset duos quosdam in cœna plurima adversus ipsum dixisse, utrumque ad se invitavit, & convivio comiter exceperit; quorum alterum cum multa leviter, subtiliterque loqui, alterum verò reconditum, ac tristem sedere vidisset, illum quidem dimisit, hunc verò tanquam insidiatorem interfecit. Varia igitur pensanda sunt circa puniendos maledicos, an videlicet ex dolore aliquo, vel temeritate inducti, an verò nulla de causa, sed libidine tantum detrahendi maledicant. Prioribus enim casibus indulgendum, & condonandum est. Secundo verò casu severè vindicandum, ne abolitione præstetur ansa novæ injuriæ, quia ut agebat Socrates, maledicta qui non vindicet, veterem remittendo injuriam, novam provocat. Referunt Gellius *lib. 17. noct. c. 14.* Jul. Ferret. *de re & discipl. milit. c. 42. nu. 3.* Aneas Robertus *lib. 4. rer. judic. c. 11. l. Christoph. Boëcius de injur. diffur. 2. n. 11.* juxta quas, & alias distinctiones, quas tradunt Alber. Gentil. *in d. l. unic.* Scipio Gentil. *lib. 2. de conjur. ad finem*, accipienda sunt exempla supra relata pro dubitandi ratione.

CAPUT II.

Gregorius.

Statuimus, ut si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maxime Beata Virgine, linguam in blasphemiam publicè relaxare præsumpsent, per Episcopum suum poenæ subdatur inferius adnotatæ, videlicet, quod in septem diebus Dominicis præsonibus Ecclesiae manifestò (dum aguntur Missarum solennia) blasphemus existens, ultimo illorum die Dominico pallium, & calceamenta non habeat, ligatus corrigiæ circa collum, septemque præcedentibus sextis feriis in pane, & aqua jejunet, Ecclesiam nullatenus ingressurus: quolibet quoque prædictorum dierum tres, si poterit, alioquin duos reficiat pauperes, sive unum: & si nec ad hoc ejus suppetant facultates, id in poenam aliam commutetur, cui etiam, si renuerit recipere, ac peragere poenitentiam supradictam, Ecclesiae interdicitur ingressus, & in obitu ecclesiastica careat sepultura. Per temporalem præterea potestatem coactione (si necesse fuerit) Episcopi dioc. adhibita contra eum, blasphemus, si dives fuerit, quadraginta solidorum, alioquin triginta, sive viginti, & si ad id non sufficiat, quinque solidorum usualis monete poenâ mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus: quod etiam inter alia communitatum statuta ponatur.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Mm 3

NOTÆ.

NOTÆ.

1. ^a **G**regorius IX.) Qui præsentem edidit constitutionem contra maledicos, idest blasphemos in Deum, Beatam Virginem, & Sanctos. Unde cum præsens rubrica in secunda collectione tantum conciperetur de clerico maledico, in hac sexta propter præsentem constitutionem generalior proponitur, videlicet de maledicis.
2. ^b *Foribus Ecclesie.*) In eo loco ubi erant olim solenniter penitentes, dum in priori gradu consistebant, videlicet extra januam Ecclesie. Tertul. *de pudicitia cap. 4.* ibi: *Reliquas libidinum furias impias, & in corpora, & in sexus ultra jus natura, non modò limine, verum etiam Ecclesia te illo submouemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* Illustrant Landmeter. *lib. 2. de veteri monach. cap. 60.* & hujus electionis extra Ecclesiam mentio extat *in c. in capite 64. dist. 50. l. 18. tit. 14. part. 1.* ibi: *E debent morari à la puerta de la Iglesia toda la quaresma en cavannuelas.* Profrequuntur ritum hunc, & alios solennis penitentia Gibal. *de clausura regul. disquisit. 3. cap. 2. §. 6. num. 32.* Filesc. *de quadragesima, cap. 6.* Loayfas *in Concil. Tolet. 6. can. 6.* Souchetus *in notis ad Iuonem. epist. 228.* Cironius *in paratit. ad tit. de penit. & lib. 1. obs. c. 6.* Ambian. *ad Tertul. de pudicitia, passim.* D. Joan. Ant. *de Otalora de irregularit. ex penit. part. 1. excursu. cum sequent.*
3. ^c *Corrigia.*) Proprius enim habitus penitentium semper fuit cilicium vili, & abjecta materia contextum, ut latè probant Landmeter. *lib. 2. de veteri monach. cap. 86.* Lemaitre *lib. 4. de instaurat. Episc. cap. 7.* Joannes Lorinus *in psalmo 29. vers. 12. & in psalmo 34. vers. 13.* Vicecomes *de ritibus baptisimi lib. 3. cap. 12.*
4. ^d *Potesatem.*) Non quia blasphemus damnatus à iudice ecclesiastico, postea puniri possit à sæculari; sed potius, quia si opus fuerit, iudex ecclesiasticus debet invocare auxilium brachii sæcularis, juxta tradita *in cap. 1. 2. part. de offic. ordin. quo modo verba hæc exposuerunt Martha de iurisdic. part. 1. cap. 50.* Barbosa *in cap. felicis, de penit. lib. 6.*
5. ^e *Solidorum.*) De quorum valore egi *in cap. ex tnat. de simon.*
6. ^f *Usualis moneta.*) Id est pro tempore currentis, ut dicitur à Sidonio *lib. 4. epist. 20.* usualis sermo: & Zeno Veronensis agens de sancto Arcadio, usualis lex, usualia mancipia: & Marcianus *in l. ult. §. quotiens, ff. de public. & vectig.* Imperat. *in l. 3. Cod. de tyron. in Theodos. ibi: Usualis uncia, usualis res.* Cassiodor. *lib. 9. epist. 18.* Usualia iura. Et *lib. 6. epist. 7.* Usualia metalla. Et *lib. 11. epist. 39.* Instrumentum usuale, usuales artes. Et *de anim. cap. 4.* usualis eventus: & *lib. 2. epist. 39.* Usualia cantica. Concil. Toler. *8. can. 8.* & ita usualem monetam dixit Gregorius IX. pro quotidiana, & usurecepta.

COMMENTARIUM.

6. **B**laspheemia est convitium, seu maledictum in aliquem dignitate, & excellentiâ conspicuum prolatum, ut docent D. Augustinus *in lib. de moribus monach. cap. 11.* D. Thomas *2. 2. quest. 13. per tot.* ideoque dicitur ab Apostolo *ad Titum cap. 3.* *Admone illos neminem blasphemare.* Ex Theologorum tamen, & Canonistarum communi usu blasphemia significat convitium, seu contumeliam irrogatam Deo, vel Sanctis in cælo regnan-

tibus. Probat Covarr. *in cap. quomvis pællum, part. 1. §. 7. num. 8.* Simanc. *de catholicis, tit. 8. Fatina. in praxi crim. tom. 1. quest. 20. num. 11.* Azor. *tom. 1. instit. lib. 9. cap. 28.* Bannez *1. 2. quest. 13. art. 1.* Sanctarellus *de hereticis, tit. de blasphemia, cap. 1.* Suarez *de relig. tom. 1. lib. 1. cap. 4.* Bobadil. *la libr. 2. polit. cap. 17. num. 77.* Pichardus *in manu. ducl. crim. verbo Blasphemia.* Sive maledicus de Deo aliquid affimet, quod illi non convenit, ut si crudelem, vel injustum eum vocet, vel ei imprecetur malum, ut faciunt damnati, quasi malum in Deum cadere possit; vel neget quod illi convenit: & ita blasphemia propriè est contra virtutem religionis, sicut enim veneratio, & cultus, quo Deum veneramus, & Sanctos propter Deum, qui eos sanctitate donavit, pertinet ad religionem; ita in Deum, & Sanctos, ut in Deum referuntur, convitium eidem religioni opponitur, non confessioni fidei: quamvis enim S. Thomas *2. 2. quest. 13. & sequent.* eam fidei opponat, tamen certum est, eam formaliter & essentialiter loquendo soli religioni opponi, cum possit quis in Deum blasphemus esse, salvâ in eum rectâ fide, ut docent Castro *lib. 1. de justa heretic. puni. cap. 12.* Valentia, *2. 2. disput. 1. quest. 13. punct. 2.* Sanchez *lib. 2. summa, cap. 32. num. 3.* Theophilus *tom. 4. lib. 4. c. 2. fol. 568.* Sed quia ut plurimum blasphemia continent verba heresim, ideo communiter distinguuntur in hæreticales, & non hæreticales. Hæreticales blasphemie sunt quæcumque profertur directè contra fidei articulos, ut contra Dei omnipotentiam, puritatem B. Virginis, & similes: & apparet clarè blasphemia hæreticalis, quando per verbum aliquod indicativi modi asseritur aliquod contra fidem, quando autem non asseritur per hujusmodi verbum, sed optando, vel imprecando, non est hæreticalis. Exemplum hæreticalium sic Deus est injustus, acceptor personarum, non est omnipotens, non credo in Deum, renego Deum, crucem, fidem, puritatem Deiparæ. Exemplum non hæreticalium est: Maledictus sit Deus, per corpus Dei, à despectio de Dios: quia per hujusmodi blasphemias, quæ indicativi modi non sunt, nihil falsum dicitur de Deo, ut possint heresim continere, sed tantum malus affectus blasphemantis erga Deum volentis ex modo dicendi quasi ignominiarum reddere Deum incapacem. Essent tamen hæreticales, si blasphemans per modum indicativi assereret, Deum esse illarum incapacem. Prosequuntur alia exempla hereticalium, vel non, Mascardus *de probat. lib. 1. conclus. 194.* Decianus *tractat. crimin. tom. 3. lib. 6. cap. 2. num. 4.* Sanchez *dist. lib. 2. summe, cap. 32.* Scortia *in select. Pontific. constitut. epistom. 90. theorem. 32.* Eymericus *2. part. direct. questio. 41. ubi Penna, Suarez tom. 1. de relig. tractat. 3. lib. 1. cap. 5. Soula in aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 19.* Albertinus *de heretic. agnosc. questio. 6. numer. 25.* Barbosa *de potestate Episcop. allegat. 51. numer. 88.* Carona *de offic. Inquisit. part. 2. tit. 7. §. 2.* Fragolo *de reg. Christian. Republic. part. 1. lib. 2. disput. 4. §. 5.* Thomas Delbene *part. 2. de offic. Inquisit. dubit. 218.* Beyerlinch. *tom. 1. theatr. verbo Blasphemia.*

Deinde sciendum est, crimen hoc sædum, & horrendum esse; quid enim atrocius, quam Deo convitari? quod facit blasphemia. Ait Div. Hieronymus *in cap. 18. Esaiæ,* nihil eâ esse horribilius, & omne peccatum comparatum blasphemie, levius esse. Et Divus Chrysoctomus *in psalmo*

in psalmo 95. blasphemiam nihil peius esse affirmat his verbis: *Attentius considera que dicuntur. Peccata quaedam spectant ad Deum, quaedam ad hominem: veluti impietatem committere, blasphemiam evomere, ac violare templum Dei, aut Ecclesiam Dei persequi, aut sacerdotes officere contumelia. Hec omnia referuntur ad Deum: ceterum machari, furari, iniuriam facere hac intra consuetudinem, que nobis cum conservis est, constituunt. Multiplex autem est differentia eorum, que committuntur in Deum, & qua in homines. Nihil itaque peius iniquitate, neque quicquam magis impium, quam adversus Deum blasphemia. Sanctus Petrus Damianus opuscul. 36. cap. 3. & homil. 1. ad populum, blasphemos lepra mibi, & posteris adscivisse affirmat. Facit D. Mattheus cap. 12. & Heli ajebar lib. 1. Regum, cap. 2. Si peccaverit quis in virum, placari illi potest Dominus; si autem in Dominum, quis orabit pro eo? D. Augustinus lib. 2. de civitate Dei, cap. 9. ibi: Cum probrum jactur in Principem, patria bonum, atque utilem, nonne tantum est indignius, quantum a veritate remotius? & a vita alienius. Quae igitur supplicia suffiunt, cum Deo sit ista tam nefaria, tam insignis injuria. Faciunt Theodor. orat. 1. de provid. ins. Salvianus lib. 4. de providentia, ad finem. Quare variis poenis crimen hoc omni jure vindicatum legitur. in Levit. 24. lex erat ut blasphemum lapidibus opprimeret populi multitudo: & Judaei adeo hoc crimen execrabantur, ut dum blasphemias intelligerent, obturarent aures suas, & scinderent vestimenta sua, ut refertur Matthaei cap. 26. ut ob res luctuosas, & maxime tristes soliti erant facere cap. 4. Numer. Iosue cap. 7. Iudicium cap. 11. vers. 4. Hesther. cap. 4. & cap. 2. Sophonia, minatur Dominus ob blasphemias Moabitibus interitum Gomorrhæ & Sodomæ. Jure civili Justinianus in novel. 78. Ut non luxur. homines, ita cavet: Si contra homines facta blasphemiam impunita non relinquuntur, multo magis qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere. Additque ob blasphemos pestem, famem, terramotus, & alias plagas a Deo hominibus immitti; simulque præcipit Præfecto civitatis, ut quosin hac re deliquisse invenerit, morti tradat: & in l. ult. Cod. de relig. alearum ludos prohibet tanquam nequitiae hujus incitamenta.*

Ultimum etiam supplicium blasphemis indixit Carolus Magnus addit. 3. cap. 32. Jure canonico olim poena etiam in laicos excommunicatio, in clericos depositio, cap. si quis 22. quest. 1. & in præfenti adjuncta est poenitentia publica, necnon & poena pecuniaria: & quia clericis publica poenitentia remittitur, cap. ex poenitentibus, 50. dist. cap. quicumque 51. dist. ideo contra eos manet tantum depositionis poena. Jure nostro Regio novissimo in l. 5. 6. & 7. tit. 4. lib. 8. recop. pro prima blasphemiam detinetur reus per mensem in carcere cum compediibus; pro secunda in exilium mittitur per sex menses, muldaturque mille marapetinis; pro tertia verò lingua figitur clavo: quæ ultima poena consuetudine non est recepta, sed ejus loco flagellatur, & lingua præmitur ligno, idest mordaca. Tandem ex lege finali, tit. 4. lib. 8. recop. ad triremes damnantur blasphemii: quas poenas si non exequatur iudex, eisdem puniendus est, ex l. 20. tit. 6. lib. 3. recop. docent plura de blasphemis adducentes ultra congestos a Barbofa in præfenti, D. Ioannes Vela de delictis cap. 4. D. Ioseph. Vela in cap. 1. de offic. ordin. num. 9. Fragofo de regim. Christ. Reip. part. 1. lib. 2. dist. 4. §. 5. Scortia in select. Pontif. constit. epist. 90. theorem. 292. Ioannes Witzus in notis ad Prudentium, fol. 217. Hunnius in encyclop. canon. tit. 8. Lælius Mancinus de triplici juris collat. cap. 128. Basilic. decis. criminalis 26. Petrus Gregorius lib. 4. partit. tit. 9. cap. 8. & in cap. conquerente, cap. 6. de offic. ordin. & lib. 33. syntag. cap. 12. Acunna in cap. 4. dist. 25. Sesse tom. 4. decis. 469. Barbofa 2. lib. voto 116. Suarez tom. 1. de relig. tit. de irreligiositate, cap. penult. & ult. Simon Majolus dier. canicul. fol. 661. Gutierrez de delictis quest. 60. est tamen hoc crimen mixti fori, unde puniri potest, tam a iudice ecclesiastico, quam seculari, ut pluribus relatis probat Martha de jurisdict. part. 2. cap. 13. D. Iosephus Vela in dicto cap. 1. num. 92. nisi blasphemiam sit hæreticalis, quia tunc ejus poenitentia privativè spectat ad Inquisitores hæreticæ pravitatis, ut probant Scortia ubi supra. Eymericus in direct. Inquisit. part. 1. quest. 41. ubi Penna: pluribus relatis Barbofa de potestate Episcopi alleg. 52. num. 86. Carena de offic. Inquisit. part. 2. tit. 7. §. 2.

TITULUS XXVII

De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

CAPUT PRIMUM.

Ex canone ^a Apostolorum.

SI quis Episcopus, Presbyter, vel ^b Diaconus ^c depositus ^d justè pro certis criminibus ^e ausus fuerit ^f attractare ^g ministerium sibi dudum commissum, hic ab ^h Ecclesia abscindatur.